

De sacrificio humano apud Punicos: verum aut falsum adscritur?

Cum loquimur de Punicis rebus vel antea Phoeniciis mens nostra illico currit ad mortem cruentam infantibus impostam, id est ad sacrificium vel holocaustum humanum.

Haec opinio semper fundamentum habuit in testimoniis antiquis, quae prolaturus sum, non in excavationibus modernis, quae aliud et alterum argumentum proponunt et adferunt. Fons antiquus prior, quem possumus citare, est apud Silium Italicum, qui ponit in ore Hannibalis Cari, cui imperatum est ut filium suum immolaret supremae divinitati, cui nomen est Bal vel Moloch, haec verba: *“Quae remuneratio, te digna, Carthago, mihi invenienda erit, mater mea?*

Pugnabo die et nocte, et efficiam ut innumerae victimae, Quirini stirps, tibi offerant. Sed parce filio mio, actuum meorum heredi ...”.

Haec opinio, id est victimae humanae sacrificium, invenitur etiam apud Quintum Ennium, cui tribuuntur Annales, ubi legitur: *“Carthaginenses deis consuescunt infantes immolare”*.

Alius auctor, quem possumus citare, est Clitarcus, Graecus, IV saeculo a.Ch. n. vivens, qui, ut expressio *“risus sardonius explicetur, dicit speciem canistri collocari in parte inferior statuae divinae, quo cadebant infantes inter flammam ridentes. Ex eo risus sardonius veniebat.*

Eodem modo Diodorus Siculus primo saeculo post Chr.n. hanc opinionem sequitur. Hic auctor observat, cum Carthaginenses in oblivione mores veteres ponerent, secundum quos nobiliores infantes immolandi erant, temporibus recentibus infantes varii generis natos deis offerebantur. Quod iram divinam suscitavit. Ut ira placaretur, Carthaginenses ad veteres mores statim rediverunt. Unde iussum ad Hannibalem verum, ut filius suus immolator. Sed res historicae nihil nobis dicunt de filio Hannibali Cari, nisi notitia de vita eius exstat apud Silium Italicum et Gustavum Flaubert, qui hac notitia Silii Italici utitur in fabula sua, cuius titulus est *“Salammbô”*. Idem auctor mentionat Moloch ut nomen divinum, quod non invenitur, ut videbimus, in documentis archaeologicis recentibus. Transeamus nunc ad documenta historica et archeologica. Ibi nullo modo inveniuntur considerationes scriptorum antiquorum supra dictorum, nec autem probatio exemplorum ab his relatorum potest demonstrari. Nam haec documenta dicunt fuisse apud Punicos aliquod spatium funerarium, satis amplum, in regionibus definitis (Sicilia, Sardinis, ubi sunt Sulcis, Tharros, Mons Sirai et Nora) quae praebent urnas et animalium ciborumque reliqua. In hoc campo funerario cives solebant mensam dicatoriam et celebratoriam exstruere et parare. Excavationes demonstrant reliqua cenerum, quae putantur esse corpus puerorum propria et quae aliquo modo antecedunt alia reliqua superposita, esse saepe cum aliis animalium vel ciborum reliquiis. Ex eo consequitur, ut haec reliqua demonstrant et monstrant usum funerarium, non potius usum sacrificarium. Quod vero negat firmissimo modo celebratorius historicus

nostrae aetatis, Sabatinus Moscati. Nam hanc hypothesim possumus instruere: infantes prematura morte adfecti per focum, non per sacrificium cruentum, transire, quod eveniebat pro salute et sanitate populi. Si bene igitur res consideramus, verbum “tofet” est potius biblicum et indicat non mortem per exustionem vel per focum, sed transitum per focum, quasi purgationem per focum. Ad hoc possumus citare complures locos biblicos : librum secundum Regum 23,10; Seremiam 7,31-32; Levitium 18,21 et 20, 2-4; Deutoronomium 12,31 et 18,10; Isaiam 30,33.

In his fontibus invenitur locus qui appellatur “tofet” et collocatur extra Jerusalem, in valle Ben Hinnon appellata. Unde nomen modo falso et fallaci tributum ritui Punicorum funerario. Eodem modo, sicut supra diximus, verbum “Moloch” minime respondet ad rem veram, id est ad dei supremam Punici imaginem. In inscriptionibus funerariis contigit ut docti viri legerent hanc constructionem syllabicam MLK. Facillimum eis fuit comparare haec transcriptio cum illa trisyllabica Judaica.

In aliqua inscriptione antiquissima Carthaginis legitur: “ *inscriptio pertinens ad MLK Bcl donans Magon filium Hanni deo Baal Haumon*”. Ex eo deducitur non nomen divinitatis, sed sacrificii. Haec interpretatio comprobatur alia, quae inscribitur MLK’MIR, et in Latinum sermonem vertitur: MOLCHOMOR, MORCHOMOR et MOCHOMOR. In summa agitur de sacrificio animali pro salute filii. Unde complures docti viri opinionem de sacrificio antea humano, postea, animali ,traxerunt. Sed, sicut supra diximus, res non sunt omnino simplices ad rem generalem intelligendam et sumendam pertinentes.

Gustavus Flaubert, qui ad fontes non bene claros se refert, capitulo fabulae suae, cuius titulus est Salammbô, dat Moloch et ibi describit barbarorum excidium, quasi vellet indicare dei feritatem et sanguinariam crudelitatem.

Scimus e contrario deos supremos Punicos optima indole constitui et benigno animo accipere cibaria dona videri.

In conclusione indicare possumus esse ingentem et maximam discrepantiam inter testimonia Antiquorum et facta archaeologica recentissima.

Constat igitur scriptores antiquos recepisse similes cognitiones notitiasque magis per auditum quam per constatationem. Haec methodus fuit propria Herodoti, qui loquitur de anthropophagico ritu apud complures gentes barbaros, non de ritu Carthaginiensi.

Gioacchino Grupposo